

EXERCITATIO ACADEMICA  
 DE  
**DOMINIO**  
**MARIS**

*QVAM*  
 DIVINA ADSISTENTE GRATIA

SVB PRÆSIDIO

*VIRI AMPLISSIMI ATQUE*

*CLARISSIMI*

**HERMANNI CONRINGII**  
 PHILOSOPH. ET MEDIC. DOCTORIS  
 HVIUSQUE UT ET POLITICES IN  
 ACADEMIA IULIA PROFESSORIS  
 LONGE CELEBERRIMI &c.

DN. PATRONI AC PRÆCEPTORIS  
 ÆTERNVM DEVENERANDI

*AD DIEM SEPTEMBRIS*

ANNI CHRISTI M. DC. LXXVI.

ACADEMIE JULIE SECULARIS PRIMI

*Publicæ disquisitioni submittet*



**BENEDICTVS von Eichen**

Holsatus

AUTOR

*HELMESTADII,*

Typis HENRICI DAVIDIS MULLERI, Acad. Typ.

ILLUSTRISSIMO AC GENEROSISSIMO  
COMITI AC DOMINO

DN. FRIDERICO  
COMITI AB AHLEFELD LAN-  
GELAND ET RIXINGEN, LIBERO  
BARONI IN MARSBURG, DOMINO  
HÆREDITARIO IN SEE- ET BAL-  
LINGARD, GRAWENSTEIN  
ET WILDNUS

EQUITI AVRATO, S. REGIÆ  
MAIESTATIS DANIAE AC NORWEGIÆ  
CANCELLARIO MAGNO, CONSILIARIO  
STATVS INTIMO, COLLEGII STATVS  
ET CANCELLARIÆ PRÆSIDI, GVBER-  
NATORI ET PRÆFECTO STEIN-  
BURGÆ ET AVSTRALIS  
DIHTMARSIAE

DOMINO MEO CLEMENTI ET DEVO-  
TISSIMA OBSERVANTIA PERPE-  
TUUM VENERANDO

**B**E Persis Herodotus refert, apud eos sanctum fuisse, ne quis Regiam Majestatem sine aliquo adi- ret munere, summam felicitatem ratos, si cui conveniendi Regem concederetur facultas. Par ratione ego apicem felicitatis meæ reputo, si mihi ILLUV-  
STRIMMAM TVAM GENEROSITA-  
TEM exiguo hoc munusculo literario vene-  
rari, eoq; aditum mihi clementiæ Tuæ aperire contigerit. Non quidem diffitcor exerci-  
tum hoc Academicum tantæ dignationis haude esse, ut Illustrissimo Tuo nomini, quod exteri pariter ac tui non minus ac ipsius vir-  
tutis splendorem suspiciuat & venerantur, vo-  
reatur; attamen inter sincera officiorum cer-  
tamina meæ quoque devotionis argumen-  
tum extare debuit, præsertim cum hæc stu-  
diorum meorum primitias nemini potius consecrare conveniat, ac ILLUV-  
STRIMMÆ TVÆ GENEROSITATI. Clemen-  
tissima enim Tua Parenti meo præstita benefi-  
cia fiduciam pepererunt, hanc quoque co-

gnito Tuo fastigio haud condignam dissertationem sub alis CLEMENTIÆ TVÆ refugium & protectionem reperturam. Subnixè proinde peto, ut exiguum hoc loco Tuo quidem impar, at venerari paratum, à mea tenuitate accipias munusculum; qui omnibus viribus intentus ero, gratiam, quam ob imparitatem factis rependere nequeo, supplicibus pro TVA totiusque Tuæ Illustrissimæ familiæ prosperitate compensare precibus. Divinum proinde Numen intimis ex corde suspiriis defatigare haud cessabo, ut Tibi in Regis commodum, Regni emolumenitum, & omnium bonorum subsidium, Nestorios largiatur annos, consiliaque & actiones tuas ad sui gloriam dirigens optatisimo semper beat exitu.

### ILLVSTRISSIMÆ TVÆ GENERO ROSITATI

Helvæt. 30. Augusti  
 anni 1676.

*Devotissimus Cliens*

BENEDICTVS von Eitzen.

# I. N. D. N. J. C.

## THEISIS I.

Um nullum ferè jus sit, præsertim quod sibi separatim Imperantes in Rébuspublicis vendicant, quod non suos in utramque partem invenerit assertores; hinc non mirum, hanc nobilissimam de Dominio Maris materiam suos reperisse defensores, suos item oppugnatores & quidem tales, qui applausum totius orbis eruditione suâ sibi compararunt. Quare ego meritò temeritatis sim accusandus, quod hoc thema ventilare, illudq; defendere ausus fuerim; nisi solùm exercitii gratiâ Spartam hanc in me suscepisssem. Sed quia industria mea voto tuó, Benevole Lector, minimè respondebit, hinc rogo ut hanc meam tenuitatem tuo sublevare favore, & in quibus ex juvenili ætate erraverim, benevolentia tuâ contegere velis. Quandoquidem autem nefas esset ob hanc tam nobilem materiam, quæque non solùm calamo sed & gladio à multis Principibus & Rebuspublicis fuit agitata, de Tuo dubitare applausu, hac libertate utar, ut quicquid ex probatissimis Authoribus collegerim, animoque conceperim, promere non reformidem. Deum autem ter Opt. Max. supplex precor, ut divino suo subsidio hisce meis cœptis adsistat, illisque feliciter colophonem imponere clementis permittat.

II. QUONIAM verò in omni ventilandâ materia

teria primò in verba inquirendum, deinde in res; præsertim cum levis vocabulorum aberratio in ipsis rebus & negotiis errorem hanc agere inducere possit, cœu post innumerous præclaros Doctores testatur etiam Jurisconsultissimus Calvinus in prefatione lexici sui Juridici: hinc quoque merito inspiciendum antè, quid per DOMINIVM MARIS intelligatur & unde nomen accepit, quām cui competit, scrutemur. Dictum igitur est Dominium, prout recte tradit Connarus in comment. Juris Civ. lib. 10. cap. 5. n. 7. à domo, sive quia plerisque alii non amplius latiusque fuit dominium, quām quod dominus habitationisque suæ finibus continetur, sive quod propria & nostra usitatè à domo appellantur domestica, ut & apud Græcos οἰκία. Welenbec. paratula ad tit. ff. de acquir. rer. Dom. Hinc & ab Ulpiano in l. 195. ff. de V. S. is paterfamilias dicitur, qui in domo dominum habet, hoc est præminentiam, ut inquit ad hanc legem Alciatus in comm. suo ad digesta. Quando igitur apud antiquos scriptores dominii sit mentio, sum semper ad dominus dominum refertur. Calv. in lex. Jur. p. 391. Verum cum passim jus illud imperandi & proprietatis non in solâ domo acquiesceret, sed se amplius extenderet, vocabulo retento res aucta est, ita ut insecuris temporibus dictum sit dominium, illud jus, quo rem facimus nostram nobisque propriam. Ex quibus patet, dominium primò pro imperio, postmodum pro proprietate sumtum. Tandem vero distin-  
ctam in jure Romano forensi accepit naturam, ita ut Juris Compilatores ejusque Interpretes differentiam constituerint inter Dominum Imperium & Proprietatem, quam infra videbimus. Germanicè dicitur Eigenthumb/ Eigentum.

Eigenthümliche Gerechtigkeit Wehnerus in obseru. præc.  
in uoce Eigen, Struv. in Synagm. Jurisprud. exercit. II.  
§. 3.

III. Multis autem modis vocabulum dominii accipitur. Sic dominia ab antiquis dicta sunt convivia domi celebrata, & dominus is erat, qui convivium exhibebat, Connarus loc. cit. lib. 10. cap. 5. n. 7. Sumitur quoque à nonnullis (quod ex abusu imperandi ortum) dominium pronominâ potentia, pro duro & absoluto imperio, & quidem tali, ubi imperans primariò suam, secundariò subditorum salutem respicit. Et in hâc acceptione sumptum idem denotat cum dominatu in Politicis qui tertia species Monarchiae, diversa à Regno & Tyrannide statuitur à Philosopho 3. Pol. cap. 10. ibique vocatur regnum Barbaricum. Vid. plur. reverendus Dominus Mejerus Hospes, Præceptor ac Affinis venerandus in *Analysi ad Polis. Aristotelis ibidem*. Porro dominium latissimè suum denotat quamcunque legitimam potestatem sive facultatem ad aliquid. Sic Imperator dicitur Mundi Dominus l. 9. ff. ad L. Rhod. de jactu. Et hâc ratione omne jus in personas & res dicitur dominium, ita ut & imperium complectatur. Hahnius ad VVeserb. comm. in tit. ff. de acquir. ver. dom. num. 3. & sic non solum liberam in re corporali disponendi facultatem, sed & propter istam, imperandi potestatem quocunque libuerit & jure licuerit, exprimit, ita utrum & dominium & proprietatem complectatur. Et hoc dominium indigitatur per vocabula Meum, Tuum, Suum, item nomine patrimonii l. 1. §. 7. ff. de offic. Praef. arb. Hâc ratione dominium & imperium suum ejusdem acceptonis, prout & in hâc materia idem significant.

Tan-

Tandem accipitur in specialissimā significatiōne p̄fō jūre in re, diverso à reliquis juribus realibus; & describitur: quod sit jus de re corporali perfectē disponendi aut vindicandi nisi lex vel conventio obsistat. Mynsingerus ad rubr. Inst. de R. D. Göddēus in comm. ad l. 49. de V.S. n. 7. Struv. l.c. exercit. 11. §. 4. Et sic distinguitur ab imperio, proprietate & possessione, quas differentias ad meliorem dominii cognitionem paucis notabimus.

IV. I. Differt dominium ab imperio, quia dominium est in res & bona, imperium verò in personas. Sic pater imperat liberis & dominus servis l. 4. ff. de R. f. rerum autem acquisitio vocatur dominium, hinc ~~titulus~~ ff. d. acqu. rerum dom. in quo nulla mentio fit imperii. Deinde Imperans in Republicā omnia imperio possidet, singula verò à privatis dominio possidentur Seneca lib. de beneficiis 7. cap. 4. Plures differentias vide apud Heigium in quest. p. 2. qu. 40. Gothofred. in comm. ad Nov. 105. c. 2. in fine; & Hottom. in quest. illustr. quest. 1. II. Differt dominium à proprietate non in se sed subtilitate juris. Nam proprietas & dominium, quā jus significant, & si in propriā acceptione sumuntur, rectè dicuntur synonima. Ut contra Riemerum ostendit J C̄tissimus Hahnii in animadu. suis ad diff. S. Sibolii anim. 4. Idein quoque existimat Duarenus in diff. annivers. lib. 1. cap. 17. proprietas enim est formalis ratio omnis dominii §. 7. C. de quest. Quoad possessionem autem aliqua inter dominium & proprietatem a J C̄tis notatur differentia. Nimirum jus illud, quo plenē & perfectē res mea est, proprietas absolute dicitur, cum verò & usus rei una cum illo jure possidetur, tūm dicitur dominium Robertus lib. 3. sent. cap. 18. Hinc orta est distinctio

**Cio inter dominium plenum & nudam proprietatem.**  
Sic qui unà cum proprietate etiam usufructu gaudet, dicitur Dominus plenus; contrà cui sola competit proprietas, usus autem alii vel lege vel pacto est concessus, dicitur proprietarius, item Dominus directus, qualis est Dominus feudi, emphyteusios &c. Struvius *loc. cit. §. ss.*  
Plura videantur penes Parlador: *rerum quotid. lib. 1. cap. 4.* III Differt dominium à possessione, in eo sc. quod possessio solum consistat in detentione & occupatione rei, dominium verò in jure de illâ disponendi. Porrè dominium est juris, possessio autem magis facti: Connarus *d. lib. 3. c. 3. n. 1.* ubi & hanc rationem affert: quod dominia si ex Jure N. & G. acquirantur, à possessione incipiunt, non verò vice versa. Sic e. g. nemmo prius naturaliter dominio rei potiri potest, quam illum possideat, contra verò sèpè res à quodam possidentur, qui tamen non est Dominus rei. E. g. res invito Domino alienata possidetur interim vel à bonæ vel à malæ fidei possessore; attamen dominium manet penes pristinum Dominum, nisi justo temporis spatio præscribatur. Adducit & Ulpianus *l. 17. §. 1. ff. de acquir. l. amiss. possess.* aliam differentiam, scilicet: Dominia quandoque invitit remanere, possessionem verò statim cum id constitutum recedere. Videatur pluribus Cujacius *in obseru. lib. 7. obs. 38.* Divisiones dominiorum in plena & minus plena, directa & utilia, quod attinet, cum sint merè juridicæ, ad castra corum qui foreseim disciplinam exercent, meritò relego; utpote cum hanc materiam isthoc modo tractare mihi haud proposuerim. Pergam itaque ad vocabulum Maris, illoque explicato statim ipsam aggrediar maris naturam, & an in Dominium redigi posit, investigabo.

V. MARE quasi amarum, derivatur ab Hebræo  
amarum esse, quia omnis aqua marina est quodam-  
modo falsoidine suâ amara. Hinc Isidorus lib. 13. Orig.  
cap. 14. ait: *Mare est generalis aquarum collectio. Omnis*  
*enim congregatio aquarum, sive falsa sint sive dulces, ab eis-*  
*vè maria nuncupantur; propriè autem mare appellatum est*  
*eo, quod aqua ejus amara sint.* Hanc vocem plurimæ  
gentes retinuerunt, sic Itali dicunt *Mare*, Hispani *Mar*,  
Galli *Mer*, Germani *Meer*/ dicitur & Germanis *See*;   
quod cui forte possit videri esse à Græco θάλασσα ferveo, et si  
nos nihil definiamus. Appellatur & Fretum quasi à fre-  
mendo Graswinckel in *Vindic. maris liberi proleg. pag. 7.*  
Danis nuncupatur *Haff*/ undè forsitan Germanicum *Hafse*  
portus ortum suum traxit. Hebreis vocatur ~~Θάλασσα~~  
quasi ab Θάλασσα terribilis, quia mare est vastum quid &  
terribile, Martinius in *lexico suo philolog. p. 1840.* Græcis  
indigitatur θάλασσα vel à θάλασσα vireo; quia scilicet ut  
aquarum omnis sit viror & generatio, vel quasi θάλασσα  
à falsoidine, o alio enim denotat salem Schrevelius in *lex-*  
*man. grac. lat. p. 370.* Verum etymologias istas hic sive  
defendere sive refellere non est nostri instituti: tantum  
indicasse & hac in re aliorum sententias, hic sufficit.  
Est autem Mare generalis collectio aquarum. Quæ de-  
scriptio licet Graswinckelio loc. cit. vedeatur nimis lata,  
utpote cum omnia flumina hanc sibi vindicare possint;  
sciendum tamen, quod Maris voce heic cùmpromis in-  
telligamus illas aquas, quibus tota terra est circumflua.  
Id mare autem vocatur alias Oceanus, & plerumque à  
diversis terrarum partibus quas alluit diversa forti-  
tum nomina. Sic Mare britannicum à Britannis, mare  
Ligusticum à Liguribus antiquis Italæ populis, Mare  
Ionicum

Jonicum ab Iōnībus Asiae minoris incolis, Mare Norwēgicum à regno Norwēgiæ denominantur.

VI. Jam ad ipsum DOMINIVM MARIS. Hoc ab aliis appellatur *Imperium maris*, ut à JCTissimo Domino Strauchio *in disserr. de Imperio maris*; ab aliis *Mare clausum*, ut à Seldeno; non ac si mare usui hominum sit occlusum, prout Ciceroni *in orat. pro L. Maniliā* mare clausum dicitur, quando navigationes cessant per tempestatum acerbitatem hyberno anni tempore, & in quā acceptione sumitur in *l. quorū 3. C. de naufragiis*. Sed mare clausum Seldeno nihil aliud est quam dominium maris, & describitur ab eo *in prefatione tractatus de mari clauso*, quod sit mare privatim possessum sive, sām jure quam occupatio ita seclusum, ut commune esse dessinet, id est jure mancipii vindicatum. Quoniam autem Mare hodiè eādem ratione, quā venationes, pescationes & hujus generis alia inter jura Majestatis referuntur (quæ vulgo Regalium quamvis minus convenienti nomine veniunt prout censet Mejerus, *in Analyse ad Politicam Aristot. lib. 3. cap. 4. p. 230.*) hinc illud à nullo privato occupari potest, sed sola ejus occupatio spectat ad Majestatem. Cacheranus *decis. 1ss. num. 81.* Ferrar. Montanus *de feudis lib. 5. c. 7.* Mynsing. *respons. 1. num. 162.* *Dec. 11.*

VII. HISCE jam præsuppositis ipsam Dominii Maris naturam scrutabimur, innexā prius definitione, illaque postmodum per partes explicatā. Est igitur Dominium maris jus Majestati competens partem aliquam maris tam quoad proprietatem quam quoad imperium sibi vindicandi, omnesq; alios ab ejus occupacione arcendi, jure naturali aut genitum acquisitum.

**IX.** Dicitur quod sit Jus, i. e. potestas disponendi & faciendi quocunq; libuerit & jure licuerit. Majestati competens ; ubi sciendum , Majestati hoc jus non ideò competere, quod privati Jure N. ab occupatione maris sint exclusi, sed quod Principes sibi solis hanc vendicarint lege aliquâ vel scriptâ vel non scriptâ vel etiam præscriptione. Wesembecius *ad tit. ff. de acquirendo rerum Dom.* Nam conceditur quidem , res illas in libero statu permansisse & proinde cedere occupanti , attamen cum communis utilitas meritò præferatur utilitati privatorum , hinc nihil prohibet, quo minus res quæ communi occupationi relictæ , potestati civili propter communem utilitatem , ob quam fiscus habetur , cedant. Struvius *in synagm. juris feud. cap. 6. §. 7.* Hoc confirmat Grotius *lib. 2. cap. 2. de Jure B. ac P.* ubi dicit: *Quanquam lex civilis nihil præcipere potest, quod Jus Naturæ prohibet, & prohibere quod præcipit; potest tamen libertatem naturalem circumscribere, & vetare quod naturaliter licebat.* Plura argumenta ad hujus probationem facientia videri possunt apud Fachinæum *lib. 1. controu. jur. controu. n. Ungepaup. exer. s. qu. 4.* Quæ supersunt explicanda circa hanc definitionem , cum paucis absolvi nequeant, infra suo loco & ordine tractabimus.

**IX.** Omne autem dominium primam suam originem donationi divinæ debet. *Gen. 1. v. 26.* Deus enim dedit Adamo omnes omnino res, quæ in terrâ & mari erant *v. 28.* Hinc proprietas totius terrarum Orbis nemini competit nisi soli Adamo ; qui adhuc in vivis concessit liberis suis (ut more Romano loquar) peculia, quod patet ex *Gen. 4. v. 2.* ubi Cain vocatur agricola , Abel verò pastor: & hæc fuit prima bonorum distinctio inter

inter posteros Adæ consensu ejus facta. Post mortem vero Adami, quemadmodum alia, ita & hereditas hujus inter liberos est divisa. Cum autem ob raritatem hominum omnia possidere impossibile esset, multa fuerunt pro derelicto habita, & inter illa ob usus ignorantiam ipsum quoque Mare: quæ deinde aucto hominum numero primo cesserunt occupanti. Hinc patet, dominium non ab occupatione & divisione cœpisse sed has illud infestas fuisse. Struv. *exerc. 41. §. 2.* Quod autem res quædam vacuae remanserint, hoc non auferit dominium universale sed tantum singulare; haec enim res ex causâ derelicti tales sunt factæ, prout scilicet fundus derelictus tamdiu dicitur nullius & vacuus, usque dum quis illum occupaverit. Sic quoque mare ob rarissimum à Majoribus usum potuit dici liberum, donec deinde propter frequentiorem usum iterum in dominium redierit. His præsuppositis facile corruit sententia adversariorum, communionem primævam omnium rerum statuentium. Sed ut eo clarius patescat, sententias eorum rimabimur. Probant eas ex Poetis & Historicis, principio scilicet omnia fuisse communia assentibus. Hinc citant Virgil. *1. Georg.* canentem:

*Nec signare quidem aut partiri limite campum  
Fas erat, in medium quærebant.*

Item Senec. *trag. in Oæteria.*

*Pervium cunctis iter,*

*Communis usus omnium rerum fuit.*

Porrò ex Historicis Justin. *lib. 42.* Erant Saturni ~~civo~~ omnia communia & divisa omnibus, veluti unum cunctis patrimonium esset. Et denique Cic. *1. offic. privata nullum*

*naturā.* Verūm cum hi omnes Gentiles , & sic nec cognitionem sacrarum literarum habuerint , ac lumine naturæ, utpote gentilismo suo excoecati, maximam partem destituti fuerint, proinde eorū testimonia nihil probant.

X. Videbimus autem , quale commune hoc loco à Doctoribus adversæ partis intelligatur. Est commune quid duobus modis; vel ut proprietas indivisim sit communis usus verò singulis pateat; vel ut usus omnibus sit communis, res autem omnis proprietatis expers sit. Jam posteriorem acceptiōnem potissimum intelligere communionem statuentes indè patet, quod illam opposita proprietati. Castrens. ad l. s. ff. de I. & I. Hinc Grotius cap. s. de lib. Mari expressè asserit: *commune iunc non aliud fuit, quam quod simpliciter proprio opponitur.* Verūm quod veniā illius præclarissimi frat̄ viri, huic sententiæ astipulari non possum. Deus enim Adamo id jus in res creatas concesſit , quale voluit, ut ab hominibus exerceatur, Gen. 1. v. 26. & 28. Jam aut proprietas illarum rerum fuit ex donatione divinā penes Adamum, aut non fuit; Si prius, erroris meritò convinci potest Grotius. Si posterius, tunc sanè posteri sibi hoc jus absq[ue] in justitiæ stigmate nullo arrogare potuissent inq[uo], nec Deus hoc illis unquam concessisset, utpote qui mortalibus proprietate rerum interdixisset. Quoniam autem expressè ex Gen. 1. v. 26. & Gen. 9. colligitur, quod Deus Adamo non usum sed ipsam rerum proprietatem cum imperio conjunctam h. e. perfectum. dominium concesserit, hinc primam hanc Doctorum de communiōne assertionem subsistere haud posse facile patet. Jam inquirendum , an talis fuerit communio, quā rēs indivisim fuit propria, usus autem singulis competiit. Quam opinionem

nitionem defendunt Moralistæ quidam, ut Mich. de Luna  
& Arell. tr. de dom. rat. c. 3. Molina tom. 1. tr. 2. diff. 20. &  
Joh. de Lugo diff. 6. sect. 1. At exp̄sē ex S. literis  
patet: Adamo fuisse concessum dominium omnium re-  
turn, jam autem heic nullā potuit esse communio, cum  
Adamus tum temporis solus adhuc extiterit, & deinde,  
multiplicato quamvis genere humano, tamen remaner-  
it familiæ suæ caput, & per consequens retinuerit pro-  
prio jure dominium totius terrarum orbis, licet non  
singulare attamen universale.

XI. Ex his jam perspicuum est, nullam unquam  
fuisse universalem bonorum omnium communionem.  
Quare per se ipsam corruit l. s. ff. de I. & I: ubi dicitur,  
quod ex jure G. introducta sint dominia distincta. Hæc  
enī, ut ex suprà dictis constat, ex jure divino ortum  
sumserunt. Quare & inter decem præcepta moralia ex-  
pressè ob distinctionem dominiorum additum est vii,  
ix & x præcepta, Ex. 20. v. 15. & 17. 2. ad Cor. 8. v. 14.  
Prov. 5. v. 16. Deinde naturali quoque nituntur rationes  
Præceptum enim naturæ est, ut suum cuique tribuatur,  
Molina de I. & I. tom. 1. tr. 1. diff. 20. Ex suprà autem  
dictâ l. s. ff. de I. & I. Grotius lib. 2. c. 3. §. 3. de Iure B. ac P.  
colligere gestit, quod illæ res, in quas neque expressa  
pactio per divisionem scilicet, neque tacita per occu-  
pationem cadat, ad nostram adhuc ætatem communes  
esse perseverent, inter quas etiam recenset mare, &  
ex hac suâ hypothesi argumentatur, illud omnis adhuc  
proprietas exp̄s ē. Verū cum in hoc argumen-  
to usus maximè attendendus, qui primævo tempore vel  
nullus vel rarissimus respectu maris fuit, hinc ipsa quo-  
que occupatio fuit rarissima, Hodie verò ob frequenti-  
orem

orem usum, & quia unica ferè Rerum publicarum mari-  
timarum salus indè dependet, cessat ratio Crotii.  
Ideoque meritò libertas mari adimi potest in tantum, in  
quantum commodi & noxæ Reipublicæ indè impendet.  
Proptereaque nihil vetat, quin mare longissime diffitum  
& nullis adhuc rostris velexiguis secatum liberum hodi-  
enum appellari mereatur, ut pote adhuc pro derelicto-  
habitum; verùm libertas ejus tamdiu manet integra, us-  
que dum utilitas alicujus Reipublicæ occupationem illi-  
us efflagitaverit.

XII. HISCE jam notatis consequens est, ut probe-  
mus Mare in dominium redigi posse. Quod nulla ratio-  
ne potius fieri potest, ac, si adversæ sententiaz absurdita-  
tem ad oculum prius commonstrando, nostram deindè  
adjungamus assertionem. Incipiunt autem adversarii ab  
hoc argumento: *Omnia primis temporibus fuisse commu-  
nia*: hiçce autem, cum in præcedentibus jam satis super-  
que sit satisfactum, non iminorabimur. Porrò cum o-  
mnia sint fluxa & labantur, nihilque sit stabile in hac resum  
humanarum vicissitudine, colligunt, nullius rei & sic nec  
maris posse esse dominium. At hæc instabilitas quid im-  
pediret dominium, cum hoc à DEO ita ordinatum sit,  
ut assimilaretur naturæ hominis? Si enim homo bre-  
vi temporis spatio vitali fruitur aurâ, sanè nulla ne-  
cessaria est dominiorum stabilitas, utpote quæ morte  
hominis mutentur necesse est. Rerum quoque do-  
minia tām à DEO quam Naturā constitutā esse, suprà-  
patuit: Decem enim præcepta decalogi ut jura naturæ à  
nobis meritò æstimantur; ex his autem dominiorum di-  
stinctionem colligi posse, nemo hominū inficias ibit, duo  
ultima saltim considerans præcepta. Porrò dicunt: *mare  
fluere*

*fluere & refluxere*, sed quid hoc ad tollendum dominium? Flumina sanè sunt multò magis fluxilia, hæc autem proprii juris fieri posse ex *l. 4. §. 1. ff. de R. D.* colligere est. Ibi enim flumina dicuntur esse publica; Publica autem in iure Romano describuntur, quod sint, quorum proprietas ad certum populum, gentem vel Reipublicam spectat, ita ut usus eorum N. vel G. jure communis, (modo non sit noxius Reipublicæ) omnibus concedatur hominibus. *Struv. l. c. exerc. 3. §. 76.* *Vasqu. illustr. quest. p. 2. l. 2. c. 80. num. 3.* Hinc etiam in Imperio nostro flumina quoad usum sunt publica, quoad proprietatem verò referuntur inter jura fiscalia. *Rosenth. de jure feud. c. 5. concl. 23. & 24.* *Sixt. de regal. l. 2. c. 3.* Ita quoque Ulpianus in *l. 1. §. 4. ff. de flum.* mentionem facit fluminis privati. Jam eodem modo ipsum mare post occupationem potest dici publicum, ita ut ratione usus omnibus sit commune, ratione verò proprietatis certam agnoscat Rempublicam. Accedit, quod mare in suâ naturâ, ratione scilicet fluoris, nihil aliud sit quam flumen aliquod ob magnitudinem tantum alio nomine insignitum. Eodem enim modo ortum suum nanciscitur, eodem incrementum, eodem & decrementum.

XIII. Ulterius verò progrediuntur adversarii, dicentes: *Mare ita vastum esse, ut usus ejus omnibus sufficiat animilibus, nullumq. maris ab vastitate terminum figi, & proprietà nec limitem aliquem in mari collocari posse, qui dominium hujus Reipublica ab imperio illius discernat.* Verum hæc quoque licet verosimilia nullum scrupulum injicere debent. Nam, etiamsi usus maris ob vastitatem omnibus hominibus sit sufficiens, usus tamen ille nullo modo proprietati adversatur, sed potius inde contra-

fiūm colligi potest. Si enim mare tantæ vastitatis est, ut omnibus usui esse queat, quid impedit, ne per partes absque injuriā alterius occupetur? Semper etenim vigore amplitudinis tantum remanet maris spatiū, quantum aliis ad usum & occupationem est necessarium. Et cum sit propria communionis retinendæ ratio, eam sc. tūm dēcūm locum habere, cūm res divisa nulli sociorum sit sufficiens, facile videri potest, hanc rationem heic planè nullum reperire locum: cum quælibet Respublica teneatur, etiam de jure naturæ, non majorem Maris occupare partem, quām quæ correspōdeat suo territorio, & quæ absque lēsione & injuriā vicinarum Rerū publicarum occupari potest. Vid. Magnif. Dn. Præses, Patronus ac Præceptor multis nominibus venerandus libro secundo de fin. Imp. Germ. c. M. L.

XIV. Porrò nullum maris ob vastitatem terminum figi posse, ex littoribus aliter patescit. Quid enim littora aliud sunt ac termini maris? s. 3. I. de R. D. dicitur: quod *littus sit, quatenus hibernus fluctus maximus excurrat*, sc. in tantum se extendat, in quantum fluctus quā hyberno & autumnali tempore maximus esse solet, terrā attingere valet: quare videlicet ille verus maris terminus erit, ubi maximus fluctus se sistere cogitur. Et quamvis Stypmannus in tr. de jur. mar. ingerat: littora non esse maris terminum, sed tantum extrema maris finire, attamen nec hoc probat. Finis enim extremorum & terminus pari passū ambulant: cum hic nihil aliud sit quam ubi rei alicui meta præfigitur ne ulterius se extendat; hæc autem meta præfixa quid aliud nisi finis extremum? Ex sacris quoque monumentis terminum mari possum esse constat, si solum inspiciamus caput Job. 38.

v. 8.

v. 8. ubi dicit ipse Deus: *Quis conclusio ostii mare, (nisi Ego) & v. 10. Circumdedi illud terminis meis & posui vectem & ostia.* Item Prov. 8. v. 29. dicitur: *Quando circumdabas (Dominus) mari terminum suum, & legem ponebas aquis, ne transirent fines tuos.* Tandem nec vastitas maris impedit; quo minus illud à diversis populis occupari possit. Ipsa enim natura multis mare instruxit limitibus; utpote cum scopuli & multæ sparsæ in mari reperiantur insulæ, quæ idoneæ satis sunt ad jurisdictionem alicujus Republicæ in mari terminandam. Huic quoque maximo adjumento esse possunt inventiones egregiæ nauticæ pyxidis & graduum cœlestium sive longitudinis sive latitudinis, atque ex his triangulorum auxilium.

XV. Ulterius vero instant: *Mare scilicet nunquam fuisse occupatum, sed semper in libero suo remansisse starru.* At posito hoc sed non concessso, nec id tamen thesin nostram infringit. Nam à non esse ad non posse esse non valet consequentia. E. g. hic homo non est doctus, E. non potest esse doctus. Quæ indè absurditas oriretur! Eodem modo, mare non est occupatum, E. non potest occupari; nulla hic est consequentia. Quod namque olim nulla vel rara occupatio fuerit, id factum ex imperitia rei nauticæ & impotentia quarundam gentium, qui id occupare non potuerunt, quod tamen ipsis jure permisum erat. Imò ipsum mare tām antiquis quām hisce temporibus à multis populis occupatum, maximaque indè bella orta fuisse, ex historiis ad naufragium usque perspici potest. Nos propterea infra suo loco quædam proferemus exempla illorum, qui mare occuparunt, dominiumque illius obtinuerunt.

XVI. Vehementer quoque ingerunt: Occupatio  
nem mari omnem tollere commerciorum libertatem, omnem  
liberum impedire transitum, & peregrinationibus maximo es-  
se obstaculo; Hujus autem peregrinationis commerciorum  
transitusq; ita naturalem esse libertatem, ut, si impediatur,  
omne tollatur jus omnis aequitas, hinc quoque inter justissi-  
mas bellii causas referri, si haec libertas populo denegar-  
tur. Verum quid hoc ad rhombum? Quemadmodum  
enim ab introitu & usu urbis arcere peregrinos inhuma-  
num est, teste Cic.lib.3. offic. & omnis per viam publicam  
transitus cuique jure societatis humanæ æquisimo pate-  
re debet, nisi in proprium cedat detrimentum. Groz. de  
J.B.ac P.l.2, cap. 2. §.13. nec tamen indè ullo probabi-  
tur modo, urbes proprietatis expertes esse, vias item  
publicas tam quoad dominium quam quoad usum in  
illorum numerum esse referendas, quæ utiq; naturæ jure  
omnibus sunt communia & in privatam possessionem re-  
digi non possunt. Harum vero ut & urbium dominium  
probare, idem esset ac faciem soli præferre; ipsa quippe  
quotidiana experientia sufficientis probationis loco est.  
Eadem quoque heic ratio militat in mari. Humanita-  
ti quidem consentaneum est, ut peregrini suscipiantur,  
utque innoxius concedatur transitus, sed hoc nihil impe-  
dit, quo minus dominium maris maneat integrum. Si  
cut enim servitutes prædiales, actus scilicet via iter &  
aliam, non tollunt dominium prædij rustici, sed tantum  
huic prædio vel lege aliquâ, vel pacto, vel concessione  
servitus est imposita, ita quoque mari à naturâ suâ & divi-  
no præcepto, quod injungit scilicet dilectionem proximi,  
servitus quedam quasi est injuncta, vigore cuius nemini  
liber maris transitus interdicitur, nisi vergat in præ-  
futissi-

severissimum damnum illius Reipublicæ, quæ sibi dominium in mari illo acquisivit; hoc namque si contingat, tunc eadem ratione, quâ hostis ab ingressu alicujus territorij vel urbis arcetur, dominus maris illos, à quibus damnum metuitur, à transitu maris arcere potest. Hinc Albericus Gentilis lib. 1. c. 19. de jure belli inquit: *seneo cum Augustino* (qui humanitatis esse dixit, neminem ab usu maris prohiberi) *se nec timendum sit ne noceatur,* & certum sit noceri non posse. Quare etiam Respublicæ & quidem non immerito vicinis suis, præsertim suspectis, per certas transactiones imponunt certum numerum navium, quibus liber transitus & appulsus ad littora concedatur: qualis transactio facta inter Hispaniæ Regem & Ordines foederati Belgii anno 1609. Aperte quoque Arist. l. 7. cap. 7. Pol. statuit: Legibus cavendum esse quibus cum civibus communicare oporteat, & cum quibus non oporteat. Quemadmodum porro concedere usum aquæ, item ut candela accendatur, cuilibet homini ita à naturâ est injunctum, ut si hoc non faceret, ipsi repugnaret naturæ & divino jure, hæc tamen concessio alteri non statim jus aliquod acquirit, sed tantum ex mutuo charitatis officio proficiuntur. Ita quoque concessio innoxii transitus per mare, ut pote per viam publicam, nullum jus efficere valet, sed solummodo ortum ex charitatis fonte haurit.

XVII. Licet autem interdum bella ob negationem liberi transitus suscepta sint; nec hoc tamen nobis adversatur. Distinguendum quippè; an utilitas Respublicæ efflagitaverit Nam liberi transitus prohibitio nem, an verò nullo urgente Respublicæ commodo hoc factum. Si posterius, meritò & summo jure bella susci-

pi posse concedo; utpote cum hoc casu Dominus ma-  
ris contra omnem à naturâ proximo debitam peccave-  
rit charitatem, ipsique adeò mandato divino & Juri  
Naturæ repugnaverit. Nam si hæc inter justas belli re-  
fertur causas, quando alicui liber transitus per territo-  
rium alicujus, qui tamen non cum ulla læsione Rei-  
publicæ est conjunctus denegatur, quare non & eadem  
hæc ratio locum obtineret in libero maris transitu? Prius  
autem nos ipsæ sacræ paginæ docent expressè asserentes,  
quod Israelitæ contra Amorrhæos innoxium transitum  
denegantes iusta gesserint bella *Num. 20.* & Augustinus  
*lib. 4. qu. 44. super hunc locum.* Si autem prius, cum  
mempe transitus absque detrimento Reipublicæ conce-  
di nequivit, injustissima fuisse bella, nisi alia subfuerit  
causa, nemo sanæ mentis facile inficias ibit. Quilibet  
enim est rerum suarum dominus, & de illis pro habitu  
disponere potest, cum primis si utilitas rei suæ id postu-  
let. Et licet quilibet res suas ita teneatur administrare,  
ut non vergat in damnum tertii alicujus innocentis; ta-  
men sciendum, quod utilitas Reipublicæ præponi debeat,  
ac jure possit, utilitati omnium aliorum quicunq; demum  
fiat. Omne enim utile boni causâ est, & quo magis quid  
utile, eo maius præsupponit bottim: jam vero utilitas  
publica est major utilitas & proindè quoq; maius bonum  
atq; utilitas privatorum, hinc quoque ad illam tanquam  
ad normam omnes actiones hominum (in societate ho-  
minum civili degentium) dirigi debent. Quare utilitas  
publica rectè sicutur scopus ad quem omnes aliaæ priva-  
torum utilitates collimant. Mejerus *in anal. ad Polit.*  
*Aristot. lib. 1. c. 1.* Ex hoc quoque fundamento Molina  
*tract. 2. diss. 145.* asserit: *Nullam gentem sc̄s Rēpubli-*  
*cam*

ram teneri cum periculo suo, etiam exigno, commercia aut  
hostiles exteriores admittore, nisi gravi imminente necessitate  
qua scilicet conjuncta est cum majori Republicæ suæ  
periculis tūm enim ex duobus malis minimum elige-  
dum. Tandem & Dominium Maris non solum non im-  
pedit vel planè tollit commerciorum libertatem, sed po-  
tius illam auget, dum scilicet Dominus Mare suum à  
piratis purgare, illudque securum reddere tenet; &  
propterea in compensationem expensarum vectigalia  
imponere jure potest, eadem ratione, qua Princeps ad  
refaciendas & tuendas vias publicas vectigal aliquod à  
peregrinantibus exponit.

XVIII. Ceterum ulterius quoque progrediuntur  
adversæ sententiæ addicti, audientes videlicet illam stabi-  
lire oraculis ex sacris monumentis petitis. Sic *Ps. 95. v. 5.*  
Regius propheta canit: *Sicut (sc. Domini) est Mare, &*  
*ille fecit.* Indè nimirum colligunt, D'EVM sibi soli  
dominium Maris reservasse, illudque occupationi homi-  
num occlusisse. Verum quānam hæc est absurditas! Vi-  
deatur modò versiculus præcedens dicti psalmi. Ibi sane  
quoque dicitur: *In manus Domini est quicquid è terra pro-  
venit, & cacumina montium quoque sunt Domini.* Jam  
si illorum argumentum firmo niteretur tali, & terra &  
montes essent Juris communis, inque nullius dominios  
& hoc modo omne dominium, & per consequens omnia  
commercia collaborerentur, imò omissum iret ho-  
minum societas. Quandò autem Mare dicitur esse Do-  
mini, tum heic sermonem esse de dominio DEI excel-  
lenti in omnia quæ in coelo & in terrā sunt, facile pa-  
tet. Quemadmodum autem non repugnat dominio pri-  
vatorum in propria bona quod ipsa Majestas civilis  
quo-

quoque imperium quoddam summum in eadem bona  
exerceat, quod nomine dominii eminentis insignitur, ita  
quoque nec dominium universale Creatoris aufert crea-  
turus rationalibus dominium singulare in bona sibi ipsis  
primum ex divinâ beneficientiâ concessâ.

XIX. Poetarum testimonia libertatem maris as-  
serentia multa quoque in medium proferunt nonnulli,  
quibus brevitatis ergo supersedemus, notatis solummo-  
dò paucis iisque gravioribus. Sic ex lib. 6. *Metamorph.*  
Ovidii in scenam producunt Latonam efflagitantem  
haustum aquæ ad sedandam sitim. Ita autem rusticos  
*Lyciae* alloquitur.

*Quid prohibetis aquas? usus communis aquarum.*

*Nec solem proprium natura nee aëra fecit.*

*Nec tenues undas. In publica munera veni.*

Sed videbimus an hæc sint valida ad tollendam Maris  
proprietatem. Merito autem id negatur. Naturæ quidem  
converiens est, id alteri concedere, quod absque detri-  
mento fieri poterit; hinc dicit Latona *usus communis*  
*aquarum est*: nimirum, hoc esse contrà omnem humani-  
tatem, imò contra omne institutum divinum & naturæ  
negare alteri aquam ad potandum, & repellere alterum  
ab usu ejus rei, quem ipsa charitas & inutuum hominum  
officium per naturam efflagitat. Attamen Latona ipsum  
lacum non dicit communem; privatam quippe ipsius  
possessionem jam tum Gentes quædam sibi vendicarant,  
sed tantum usum aquæ communem probat ex præcepto  
morum & charitatis. Hinc quoque dicit: *in publica*  
*munera veni*, scilicet talia quæ homo homini à naturâ de-  
bet. Subjungit propterea statim: *Qua rāmen ut deris*  
*supplex peto*. Quemadmodum enim quilibet obstrictus  
est,

est, ut permittat ignem ab igne capere, lumen de lumine accendere, nec tamen inde sequitur, quod lumen vicini non sit ejus proprium sed commune. Sic quoque maria & flumina manent propria licet Domini eorum usum ex officio charitatis alteri teneantur concedere. Haec enim distinctio obtinet inter rem alicui ita propriam, ut ab usu ejus reliqui arceantur, & inter rem quoad dominium quidem propriam, quoad usum verò omnibus hominibus communem; qui usus vel Jure Naturae vel Gentium vel interdum etiam Civili rei illi propriæ tanquam servitus quædam est impositus. Et tales res, ut ex antedictis videre est, in jure Romano vocantur res publicæ; ad quas etiam referuntur Maria & Flumina; differuntque à rebus privatis, quarum scilicet proprietas unâ cum usu est in alicujus privati speciali dominio. Hisce porro jam atlatis rationibus etiam occurri potest illo Plauti dicto in *Rudente act. 2.* ubi Ampelisca Sceparnionem servum aquam negantem ita increpat: *Cur tu aquam gravare amabo quam hostis hosti commodat?* Quia videlicet haec communicatio aquæ absque gravamine & detimento fieri potest, nec quicquam totius fluminis proprietati derogat; hinc meritò illam ex officio humanitatis alteri debito unusquisq; concedere debet. Seldenus *lib. 1. de Mari clauso cap. 27.*

XX. Tandem ad Corpus quoque juris Civilis, tanquam ad sacram anchoram, adversæ sententiæ propugnatores refugiunt, inque eo ultimam suam salutem querentes, opinionem, quam firmis defendere nequeunt rationibus, ex verbis & sententiis Legum confirmare volunt. Verum & hisce, quantum in nobis erit, occurremus, tandemque nostræ thesis probationem ad-

D

jungemus

jungemus. Igitur, hoc quidem inficias iri nequit, **JC.**  
tos Veteres penè omnes dominium Maris quadamte-  
rus negasse, inquæ scriptis suis statuisse, quod à primis  
temporibus ad Justinianum usque Juris Gentium fuerit,  
ne Mare à populis, etiam quoad pescationem, occupa-  
retur. Hinc ait Marcianus *l.2. §.1. ff. de Rer. div.* Et qui-  
dem naturali jure omnium communia sunt, aëris, aquæ pro-  
fluens, Mare & per hoc littus Maris, quæ eadem verba  
*§.1. l. de R. D.* leguntur. Et Ulpianus *L.13, ff. commo-*  
*prad. 1. Vrb. q. Rus.* Mari quod naturâ omnibus patet, pri-  
varâ lege servitus imponi nequit. Item Celsius *l.3. ff. ne*  
*quid in loco publ.* Maris communis usus est omnibus homi-  
bus, ut aëris. Vid. Vinnius in comment. ad *Institutiones* &c qui-  
dem ad *§.1. de Rer. Div.* qui quoque libertatem Maris  
sed levibus argumentis adstruere conatur. Ast ob-  
servandum; ea quæ Juris Gentium sunt per jus aliquod  
Civile immutari posse. Jam autem posito, Romanos  
reliquisse Jus Gentium quoad occupationem maris in  
nudo suo statu, hoc tamen fuit factum ob rariorem maris  
usum & imperitiam rei nauticæ. Quoniam autem ho-  
diè usus maris frequentior, hinc Jus illud Gentium con-  
trario jure Civili vel scripto vel non scripto, meritò po-  
suit immutari. Hie quippe distinctio obtinet inter il-  
lad quod Jure Nat. vel Gent. præceptum, & illud, quod  
hoc jure in liberâ alicujus voluntate est relatum. Et sane  
libertas Maris eodem modo ac libertas terrarum orbis  
neque Jure Nat. neq; Gent. est præcepta, hinc Jure Ci-  
vili adimi potest. Eadem enim ratio hic militat, quæ in  
venationibus ac pescationibus. Hæ scilicet itidem olim  
quibuslibet competebant, hodiè autem nemini, nisi cui  
fuerint ab ipsâ Majestate concessæ. Illa quippe antiquæ  
libertas

**Libertas multis ab hinc seculis more receptissimo sublata est.** Struvius *Synz. f. Feud.* p. 185. Sebaſt. Medices *in tr. de venationibus*, Gailius *lib. 2. obs. 67.* Matth. Stephani *de Jurisdictione, lib. 2. part. 1. c. 7. p. 432.*

**XXL** Verum ne videamur, ac si hisce generalibus (dicet sufficientia) speciales jCtorum sententias legibus prolatis expressas, velimus deſtruere, ipsas leges rimabimur, ut absurditas contrariae sententiae cō major illucescat. Quod igitur *l. 2. §. 1. ff. de Rer. Div.* attinet, ubi Mare naturali jure dicitur commune, primō sciendum, ipsum Grotium ab hāc opinione discedere. In suo enim *de Jure B. & P. lib. 2. c. 3. §. 10.* dicit: *hoc provenire ex instituto, non ex naturali ratione, quod Mare nondum sit occupatum.* At nec id ullo modo potest approbari. Nam si est ex instituto, aut est ex instituto divino aut ex humano. Non autem ex divino; nullibi enim legitur in sacris monumentis. Ergo ex humano. Jam si hoc, tum contrario instituto humano potest tolli, pro ut factum. Videamus porro ipsam *l. e.* In hāc lege Mare appellatur commune, quemadmodum aēr & aqua profuens. At verò commune hīc dicitur, cuius uetus & occupatio omnibus conceditur hominibus. Struvius *Synz. Jurupr. exerc. 3. §. 75.* Sicuti igitur aēr si occupatur fit proprius: & aqua profuens quam primum occupata est, ita fit occupanti propria, ut ipso invito à nemine alio iterum nisi per vim & injuriam in communitatem redigi possit: bestiæ quoque & pisces post occupationem in proprium dominium transeunt; sic etiam Mare ante occupationem potest indigitari nomine rei communis. Tum enim omnium gentium tacito quasi consensu, & sic Jure quasi Gentium

pró derelicto fuit habitum, ita ut primo cedat occupanti; quod hodiè, ex singulari ratione, quæ ex superioribus patet, ad Majestatem est restitutum. Post occupationem verò, in propriam alicujus possessionem eadem, ac reliquæ res communes, viâ redigitur; & tum ex re communi fit res publica, ita ut proprietas quidem remaneat penes occupantem, usus verò, (nisi noxius sit Reipublicæ) mandante id præcepto charitatis humanæ, omnibus gentibus pateat. Bayerus in *Justin. controversia & reconciliatio ad S. I. de R. D.*

XXII. In l. 13. ff. comm. præd. 1. Vrb. q. Rust. distinguendum quoque est inter dominium & usum. Usus maris, saltim in quam multis, utpote publicæ rei, omnibus hominibus merito patet; hinc ab illo nemo, nisi hostis vel apertus vel occultus Reipubl. arceri debet. Qui si hoc loco ab Ulpiano intelligitur, bene se res habet, & lex hæc potius pro nobis facit, quam adversatur. Si verò de dominio sermo est, tum recurrentum ad hodiernos mores, utpote qui multa ex Jure Civili Romano immutarunt. Quando autem dicitur: *quod privatâ legge servitus Mari imponi nequeat*, hunc habet sensum: nimirum, neminem privatum ex pacto convento sibi soli posse vindicare usum maris, ita ut ab ejus usu reliquos excludat. Hinc scilicet dicitur: *privatarâ legge*, quia Jure divino & Naturæ servitus quedam Mari est imposta; ita ut Dominus maris ex illo jure teneatur usum omnibus quodammodo concedere hominibus.

XXIII. Quod Celsus ait l. 3. ff. ne quid in loco publico (Maris, scilicet) communem usum esse omnibus hominibus, ut aëris, id si de solo quoad plurima usu accipiatur, facilimè concedi potest, utpote cum omnium publicar-

publicatum recte, in quantum sunt publicæ, usus communis esse quandam tenus debeat & sic quoque Maris. Si vero per usum ipsam etiam intelligat proprietatem, tum lex hæc tanquam Reipublicæ nostræ statui præsenti contraria, summo jure rejicitur; quia nempe status hodiernum Rerum publicarum longè diversus est à statu antiqui Romanorum Imperii. Moribus etenim & statutis populorum hujus ævi multa sunt recepta, quæ non ex fonte Juris Romani sunt petita, maximo tamen nituntur jure & æquitate; utpote cum ratio civilis præsentium Rerum publicarum talia efflagit, quæ statui antiqui Romani regiminis forte fuissent noxia. Quemadmodum & apud eos multa constituta, quæ si hodiè obtinerent, in præsentissimum vergerent Reipublicæ nostræ damnum. Ex. gr. jura servitutis & postliminii quoad personas nullius vel exigui hodiè apud nos sunt usus, sed potius contrarium obtinet, nisi quod aliquæ ejus adhuc remaneat observatio, quando bellum cum Turcis geritur Boerius *Decis.* 178. Quod autem Jus Romanum in Germania aliqua ex parte obtineat, id factum est tacito Imperatoris & Statuum consensu per quem illud ex scholis in forum translatum est. Videatur Magnificus Dominus Præses Patronus ac Præceptor veneratissimus *in tract. de Origine Juris Germ.* cap. 32. Postmodum vero accessit expressus consensus per Maximilianum Imperatorem, *in ordinatione Judicij Cameralis anno 1495 instituti*. Lehm. *in Chron. Spir.* lib. 4. c. 21. p. 337. item *in Ordin. Camer. anno 1500.* & 1512. item *in editto Norimberg.* anno 1521. p. 1. t. 13. & p. 2. t. 3. §. fin. & passim *in Constat. Electoribus* p. 2. cap. 26. Jus igitur illud civile Romanum Germanos nos obligat, non quod Justinianus

mus illud præceperit, sed quod &c in quantum aequitati &c utilitati nostræ Republicæ correspondeat. Vbi igitur hæc ratio (ut in hâc propositâ de dominio maris materia) deficit, ibi etiam leges ab Imperatoribus antiquis injunctæ ad nos non spectant, nullamq; habent vim obligandi. Struvius. *exerc. 2. §. 35.* Hinc quoque de Galliâ Carolus Molinæus *comm. in Paris. Confucet. sit. 1. gl. 1. n. 110.* ita scribit: *E Jure Romano musnamur, quod & equitatem consonum, & negotio, de quo agitur, apud congruag, invenerimus. Non quod unquam fuerimus subditi Justiniano Magno, aut successoribus ejus; sed quia jus illo auctore à sapientissimis viris ordinatum tam equum rationabile & undequag, absolutum est, ut omnium usu & approbatione commune sit effectum.* Idem quoque rectè de Germaniâ nostrâ asseritur. *Struv. l.c. §. 36.*

XXIV. Ultimo tandem loco ab Adversariis nobis objicitur *l. 9. ff. ad L. Rhod. de jactu*, quam in suam sententiam contorquere cupiunt; cum tamen potius ad destruendam quam construendam & defendendam illorum opinionem sit efficax. Videbiimus proinde primò verba & deinde sensum illius legis, & tum facilè hujc occurremus. Conqueritur ibi Eudemon, se in naufragio constitutum perdidisse res suas, illasque direptas esse à publicanis. Huic respondet Antoninus Imperator: *Ego quidem mundi Dominus, lex autem maris; lege id Rhodiâ, que de rebus nauticis perscripta est, judicetur.* Inde jam colligunt, ipsum Antoninum, utpote tum temporis supremum Imperantem confessum fuisse, quod mare in nullius sit dominio. Verum perscrutemur sensum illius legis genuinum. Dicit Imperator: *Se quidem esse mundi dominum, scilicet se quidem pro imperio in totum*

totum terrarum orbem sibi competente, esse Dominum  
mundi, id est, non solum terrae sed & maris, proinde  
quoque leges mari dare posse. *Legem autem maris*: nunc  
rum non opusesse leges novas de mari constituere quo-  
niam lex Rhodiorum, tanquam aequissima, jam lata sic  
& in promtu, quæ tunc jure quasi Gentium in toto mari  
mediterraneo propter æquitatem suam vigebat, testis  
Strabone *libro Geogr.* 14. & Floro *lib. 2. c. 7.* Vult proinde  
ut secundum illas leges judicium debeat institui, Rho-  
dii quippe, utpote rei nauticae longè peritissimi, non præ-  
sumebantur injustas condidisse leges. Hinc Seldeno, Ri-  
vio, & ambobus Gothofredis hæc lectio placet: *Ego*  
*quidem mundi dominus; lex autem maris: lege Rhodiorum*  
*nauticâ judicetur*, scilicet se quidem leges marinas ferre  
posse, (omnis enim lex præsupponit Majestatem legis-  
latorem, proinde etiam lex maris,) verum se velle, ut  
lex i.e. jus vel mos, qui observari debeat in mari, pera-  
tur ex lege Rhodiorum nauticâ, propter æquitatem cele-  
bri & omnium legum nauticarum antiquissimâ. Huic  
autem expresse addit Imperator hæc verba: *quatenus*  
*nulla ei nostrarum legum adversatur.* Vnde facile colli-  
gi potest, Imperatorein illum leges mari imponere po-  
tuisse. Sic etiam in Leunclavio *som. 3. juris Graecis Romis.*  
*p. 265.* fragmentum extat, quo Tiberius, Hadrianus,  
Pertinax, Lucius, Septimius Severus, omnes Augusti,  
jus navale Rhodiorum confirmarunt. Struv. *Synt. Ju-*  
*rispr exerc. 26. §. 20.* Igitur ex illius quidem Legis ver-  
bis nequaquam potest colligi vera communitas vel il-  
lus Maris de quo ibi sermo est, hoc est Maris Mediter-  
ranei. Ad reliqua scilicet Maria Cæsar non respexit.  
Si licet tamen quoq; fateri id quod res est, ab a<sup>ν</sup>κυ<sup>λ</sup>ογ<sup>ι</sup>α<sup>ς</sup>

Lex

Lex illa defendi non potest. Nec enim vere prudens quis juris ita temere locutus unquam est: ut nempe dominum mundi Imperator sibi vindicet, de mari autem loquatur quasi istuc ad Imperatorem non pertineat, sed huic aliquid aliud dominetur.

XXV. Cæterum hæc ad refutandas leges contrarias haud dubie sufficiunt. Quin possint illa cui justo prolixiora videri; nisi extendere hæc coegeret magnus Jctorum numerus, qui hodienum libertatem Maris defendere illamque ex legibus probare solent. Inter neotericos JCTos autem maximè eminent Hugo Grotius libello *de Mari Libero*, conscripro contra Lusitanos dominium maris Indici sibi vindicantes & Ferdinandus Vasquius *Controv. Illustr.* lib. 2. c. 89. f. 30. Grotium autem quod attinet, omnia ejus argumenta recensere nimis longum foret, quia jam tum pleraq; eorum adducta & confutata sunt. Generalis tamen omnium illorum sensus in eo est occupatus, ut probet, quod & Jure Nat. & Gent. mare sit commune, & quod ab Orbe usque condito fuerit commune. Cum autem nulla unquam naturalis & universalis rerum communio fuerit, ut ex antedictis patet, hinc nec mare ita ex Jure Naturæ potest dici commune, ut communio illa per occupationem non possit adimi. Cui accedit, quod libertas maris à Jure N. non fuerit præcepta sed tantum permissa. Cum nimirum post tempora Adami Mare ob nullum ejus usum pro derelicto fuit habitum illud tamdiu in libero suo permanxit statu, donec ob frequentiorem usum iterum fuerit libertate isthac privatum. Eadem quoqueratatio hic militat, quando mare Jure Gentium dicitur commune. Nam olim gentes in communionem maris tacite

cirè conferunt ob imperitiam maximi commodi ex re nauticâ provenientis; quod quia insecuris temporibus majori studio quæsum, ex eo prius illud Jus G. per posteriorem multarum gentium tam tacitum quam expressum consensum fuit abolitum, ita ut hodiè ipsum dominium Maris Jure Gentium obtinere, dici mereatur. Multæ quippè gentes sive tacitè sive expresse in id jam consentiunt, hanc partem Oceani aut alterius alicujus Maris imperio hujus Reipublicæ, alteram alterius dominio subjectam esse. Hisce autem positis facile altera thesis Grotii, Mare scilicet nunquam fuisse proprium, sed ab orbe usque condito in communione permanisse, collabitur. Quid, quod etiam experientia tam aliena ex historiis priorum seculorum, quam propria ex moribus hodierni ævi petita, dictis Grotii adveratur; Ex hac nimis patet, non solum ante verum etiam post Domini incarnationem, multis fuisse Respublicas, & hodiernum esse, quæ dominium maris sibi vindicent. Harum quasdam recensebo, modo prius paucissimis & Vasquii opinionem scrutatus fuerim.

XXVI. Dicit autem Vasquius: *esse contra ipsum ius naturæ & gentium primum, quod mutari non possit, maria & aquora fuisse propria.* Verum huic y. jam est in praecedentibus satisfactum. Sibi autem ipsi magnus ille jurisconsultus quodammodo contradicit, addens: *non solum Maria eo iure fuisse communia, sed & omnes reliquæ res immobiles.* Jam si hoc verum, tum & rerum immobilium proprietas (utpote contra ipsum ius N. quod mutare nefas) acquiri non potuisset, quod tamen expresse fatetur, cum ait: *& licet ab eo iure postea recessum fuerit ex parte, pura quoad dominium & proprietatem terrarum.* Ubi aperta

E

contra-

contradic<sup>tio</sup> est. Suprā quippē assūterat, dominium rerum immobiliū esse contra Jus Naturæ & Gentium. & quidem tale quod mutari no possit; hic autem fateatur ab eo jure fuisse ex parte recessum. Si porro recessum est ab eo jure quoad proprietatem terrarum, quidni quoq; ab eo recedi posset quoad proprietatem maris? eadem enim hic ratio locum habet, quoniam utruinque est occupabile, & in quantum occupari, in tantum etiam sub dominium redigi potest. Subnecit quidem deinde Vasquius: diversum tamen fuit & est in dominio maris; quod ab origine mundi ad hodiernum usq; diem est fuisse, semper in communi, nulla ex parte imputatum, ut est notum. At quae hæc probatio? Dicit diversum esse dominium terrarum à dominio maris; nec tamen probat, nisi eo quod fit notum, mare semper commune fuisse. At verò cum proba tum fuerit, Mare à Gentibus fuisse occupatum; utique hæc sententia Vasquii per se corruit; & notum illud, quo gloriaatur in maximum convertetur ignotum. Igitur consulemus jam veteris ævi historias, & in theatrum producemus Respublicas quasdam dominium maris sibi vindicantes.

XXVII. Thucidores lib. 1. hist. ut & Svidas, Cedrenus aliquie Minoi amplissimum dominium maris adscripsere. Sic & Lydi maris fuere domini, test. Eusebio Chron. lib. 1. Item Pelasgi, Thraces, Rhodii, Phryges, Cyprii, Phœnices, Ägypti & plures alii imperio successivo mare tenuisse narrantur. De quibus omnibus videatur Eusebius loc. cit. Lacedæmonii porro quoque & Athenienses de imperio maris contenderunt. Corn. Nepos in Tymotheo. Agathocles Siculorum Rex devictis Carthaginensibus imperio maris potitus est. Diod. Siculus lib. hist. 20. Item Polycrates

Ilycates superatis Lesbiis & Milesiis dominium maris maximè affectatus scribitur ab Herodoto in Thaliam. Sic de Tyro Urbe Q. Curtius lib. 4. ait; illam non solum vicinum mare, sed quodcumque classes adierint, divisionis sua fecisse. Demortuo Agathocle Carthaginiales dominium maris recuperarunt. Polybius lib. 1. hist. Hoc autem Romani postmodum controversum fecerunt, & tandem delerat Carthagine jure belli sui juris fecerunt. Florus lib. 2. c. 6. Hoc jure deinde usi sunt Romani, & exercitus Regibus praescripsere leges in usu maris observandas. Sic Livius lib. 8. decad. 4. refert leges devicto Antiocho, cui classem stratagemate ademerant, praescriptas. Transigentes scilicet cum illo ut dimidiata classem partem traderet, omnes naves dissecuisse. Ex hoc præterea dominii jure Augustus classem Myseni & alteram Ravennæ, in tutelam superi & inferi maris, collocavit. Sueton. in Angusto cap. 49.

XXIX. Porro & hodiè multi populi imperium marinum sibi attribuunt. Sic Veneti possessionem maris Adriatici ad se pertinere contendunt, cuius hanc rationem affert Franc. de Ingenis de Juri dicit. Venet. in mari Adriatico: Olim ob varias populorum migraciones, imprimis millenario secundo factas, tam mare quam integras regiones fuisse derelictas, quæ deinde cesserunt primo occupanti. Jam Venetos ex vicinis Italiam territoriis ab Attila pullos securitatis ergo locum dissitum sibi elegisse, ibique urbem condidisse, & mare tum temporis vacuum occupasse. vid. Fr. de Ingen. loc. cit. p. 34. Hinc Dux eorum quotannis maximâ pompa annulum in mare proicit, illudque sibi quasi matrimonio copulat. Porte & Rex Angliae vindicat sibi dominium Maris Britannici

nomini; quem defendere maximo studio conatus Seldanus *in tract. de Mari Clavis*, justos tamen fines nimis egreditur, totum Oceanum, non partem ejus quandam, Anglicano dominio subjectum, afferens. Rex quoque Hispaniae Oceani portionem, ejusdem & Rex Lusitaniae aliquid sibi vindicat: Rex Galliarum partem maris Britanici, Rex Daniarum maris Baltici & Norwegici seu hyperborei, imperio possident. Hinc quondam inter duos fratres regnum Daniarum ita divisum legitur, ut alter mare obtineret. *Saxo Grammat. in hist. Dan. lib. 7.* Turcarum Imperator dominium sibi attribuit in omne ditiones suas alluens mare, atq; hinc se nuncupat Dominum Maris tam albi quam nigri. *Coriol. Cippicus de bello Afissar. lib. 2.* Rex Abyssinorum seu Aethiopiarum se vocat in literis ad Emanuelem Lusitaniarum Regem, Imperatorem Maris Rubri. *Damian. à Goes lib. de moribus Aethiopum.* Genuenses denique sibi tribuunt imperium in mari Ligustico, Thusci in mari Tyrrheneo. Quare non est, ut ulterius simus solliciti circa probationem dominii maris, cum tot gentium mores injustitiae accusare, illasque juri Nat. & Gent. contrarias afferere, & iniquum esset &c imprudens facinus.

XXIX. Verumtamen etiam hoc non obstante *Grotius conatur l. 2. c. 3. §. 15. de Jure B. ac P.* argumenta hæc ex historiis petita, tanquam minoris momenti, rejicere: regerens, ejusmodi exempla non docere occupationem maris aut juris navigandi. *Possunt enim, aut ut singulis, ita & populi partibus, non tantum de jure quod propriæ sibi compesit, sed & de eo quod cum omnibus hominibus commune habens, in gratiam ejus cuius id intercedere.* Verum hic talia pacta rarissima imò nulla

inter-

intercedunt, sed absolutum dominium maris gentes si bi vindicarunt; ut ex historiis etiam veterum Romanorum multisque aliis paret. Qui populi omnes Mare in dominium redigi posse, imo & redactum esse, contentur. Cæterum, quoniam ipsum quoque Jus Justinianum & Constitutiones Imperiales huic rei astipulantur, hinc ad meliorem dilucidationem pauca etiam horum illorumque, in medium proferre, forte officii nostri fuerit.

XXX. Historicorum igitur sententias quod attinet, suprà eas abunde collegimus, quasdam tamen adhuc addemus. Sic Themistius de Imperatore Theodosio inquit: *Quid de eo dices, qui Imperator seu Rex est ferè universa telluris ac maris?* Vid. & Aristides in *encomio Romæ orat. s.* Et Philo Judæus Vir utique eximius ait; gloriari non debere Principes ob devictas malas gentes, aut quod omnia flumina & maria numero & multisudine diffusissima in suam potestatem redegerint. Item Xerxes apud Herodotum lib. 7. hist. Hellestontum, cui verbera inflixerat, ita alloquitur. *Dominus tibi hanc pœnam irragas.* & Dyonisius Halycarnassæus lib. 1. Orig. Roman. dicit: *Universi maris domina est, (Romæ) non solum illius quod intra columnas Herculis habetur, verum & ipsius Oceani, quacunq; est navigabilis.* Hyperbole quidem est, attamen saltum amplissimi dominii marini luculentissimum testimonium. Porro Poëta ruin princeps Virgilius lib. 1. Georg. ita de Augusto Imperatore canit:

*An Deus immensi venias mari, ac tua nautæ  
Numina sola colant. Tibi serviat ultima Thyle;  
Teq; sibi generum Tethis emat omnibus undis.*

*&c. Eneid. i. Venus Jovem de futuro Romanorum Imperiorum tali modo alloquitur.*

*Certè hinc Romanos olim volventibus annis,*

*Hinc fore ductores, revocato à sanguine Teucri,*

*Qui mare, qui terras omni ditione tenerent,*

*Sollicitus: quæ te, Genitor, sententia veritatem?*

*Item Claudianus in prefatione libri 3. de laudibus Sallustii:*

*Ergo seu patriis primæbus Manibus ulti-*

*Subderet Hispanum legibus Oceānum.*

Ultimo tandem loco dominium maris maximè stabiliunt Testimonia ex ipso Jure Romano deponita. Sic i. unicā C. de offic. Com. sac. parrim. fit mentio Officij Helleponsi Consularis, & in pref. nov. 20. Præfecturæ super Hellespontum & Pontum Polemoniacum conjunguntur, inque unam combinantur præfecturam. Imo Leo Imperator in Nov. 50 videtur omnem de communione maris opinionem sustulisse, dum imperium maris ad se pertinere statuit. Idem fecit Carolus V in quadam const. Art. 218. Vid. Goldast. tom. 1. Conf. Imper. fol. 559. Huc quoque facit constitutio Friderici II s. feud. §. 9. & auctb. ejusd. C. defurtis.

XXXI. Ethæc hactenus tam ad refutandas, eorum qui dominium maris impugnarunt, opinione, quam stabiliendam nostram sententiam, sufficient. Quemadmodum autem plerumque fieri amat, ut illi qui vitare fugiuntque unum extremorum in alterum facile prolabantur: ita quoque reperti sunt Autores, qui uni aliqui Reipublicæ dominium totius Oceani attribuere non erubuerunt. Inter hos primus fuit Albericus Gentilis, homo

**homo Italus in Anglia degens, qui lib. i. *Advoc. Hispan.***  
**cap. 8. universum Oceanum Anglicano sceptro ob-**  
**noxium asseruit. Cujus illam thesin defendere ausus**  
**fuit Joh. Seldenius doctissimus alias vir, integro de Ma-**  
**ri clauso libro secundo. Verum hæc sane opera inanis**  
**fuit. Et vero quilibet summam hanc absurditatem**  
**facillime negotio perspicere poterit. Idem utique**  
**boc est atque hodiernæ unius alieui Reipublicæ, vel unius**  
**Principi, dominium totius terrarum Orbis attribuere;**  
**quod est vel cogitatu absurdissimum. Soli nimis unum**  
**Adamo ex donatione divinâ competuit hujus Universi**  
**Orbis dominium; post illum autem nemini. Sic**  
**quoque solus Adamus imperio totius maris gavisus**  
**fuit, post eum autem hoc uni competere haud fuit posse**  
**sibile ob multitudinem hominum post Orbis divisionem**  
**Respublicas inter se constituentium. Huic acce-**  
**dit, quod Mare planè fuerit derelictum. Et quamvis**  
**Seldenius totius Oceani dominium Regi Angliæ adscri-  
bere conatus fuerit, ipsa tamen Elisabetha Angliæ quoniam**  
**Regina aliter & quidem rectius judicavit, prout**  
**patet ex Cambdeni *hist. Engl. ad annum 1580.* Sic etiam**  
**Jacobus primus Magnæ Britanniæ Rex limites**  
**regni sui marinos publico edicto ab omnibus vicinis**  
**Rebus publicis distinxit. Vid. Dominus Praeses Operis**  
**de Fin. Imperii cap. ult.**

XXXII. Ipse vero quoque Grotius, licet mul-  
tum contra dominium maris disputaverit, tandem ta-  
men receptis populorum moribus & multorum scri-  
ptorum testimonij victus, quasi dans manus, lib. 2.  
c. 8. §. 13. de Jure B. ac P. ita scribit. *Terra & flumina &*  
*(quod diligenter notandum) si qua pars maris in pro-*  
*prietate*

priores etiam alicuius populi venit, patere debes his qui transi-  
tu opus habent ad justas causas. Et cap. 3. §. 2. expre-  
sūs loquitur hoc modo: *Ad hoc exemplum videsar &*  
*Mare occupari potuisse ab eo qui terras ad latus utrumque*  
*possidet, dummodo non ita magna sit pars mariis, ut non,*  
*cum terris comparata, portio earum videri possit. Et*  
*quod unius populo auct Regi licet, idem licore videsur & duo-*  
*bus & tribus, si pariter mare intersitum occupare volae-*  
*rint. Ex hisce autem colligere est Grotium ipsum in tan-*  
*tum proprietatem maris statuisse, in quantum terras*  
*hujus vel illius Reipublicæ alluit. Verum hæc cum non-*  
*dum sufficient, ut ex antedictis videre est, medium in-*  
*ter duo ista Seldeni & Vasquii extrema viam meritò*  
*sequimur: in quâ me omnes eos qui affectibus non in-*  
*dulgent, prout Selenus fecit nimius minister sui Re-*  
*gis Angliæ, comites habere certus sum. Omnis enim*  
*occupatio ita debet esse constituta, ut non vergat in*  
*præsentissimam injuriam & inevitabile damnum alte-*  
*rius alicujus innocentis: qui alias, si citra istam occupa-*  
*tionem esset, eodem jure ac titulo circa hanc rem gau-*  
*deret. Hinc una aliqua Respublica totum & vastum*  
*Oceanum sibi soli cum exclusione omnium aliarum*  
*vindicare jure nequit, utpote cum hæc occupatio ce-*  
*deret in maximum detrimentum reliquarum, ac præser-*  
*tim maritimorum Rerum publicarum, quarum scilicet*  
*salus in libero mari usu consistit. Magnam autem*  
*maris partem, quæ tamen aliqualem respectum ad ter-*  
*ritorium habet, occupare Respublica quædam de jure*  
*poteſt, ſi modò reliquis occupandum quid relinquit.*  
*Struv. Synt. iuriſ. feud. p. 184.*

XXXIII.IN

**XXXIII.** IN OMNI præterea dominio tam  
terrarum quam maris duo consideranda: I quænam  
res nobis acquiri vel nostræ fieri possint. II per quos  
modos dominium illarum rerum acquiratur. Sutholt.  
*dissert. ad Inq. 4. §.3.* Quod primum attinet, domi-  
num maris acquiri posse, pluribus hactenus differuimus;  
hinc restat ut modos dominii maris acquirendi videa-  
mus. Sunt autem in universum modi acquirendi do-  
minii vel naturales vel civiles. Hi, quoniam hic ser-  
mo est de acquisitione dominii ab integris Rebuspubli-  
cæ, non vero privatis hominibus, & nihil ex dispositio-  
ne Juris alicujus civilis est additum, huc non quadrant.  
Naturales igitur dominii acquirendi modos considera-  
bimus: qui in triplici regulariter differentiâ sunt. Pri-  
mus modus vocatur divisio. Sic inter posteros Noa-  
chi orbis, i. e. ambitus totius terræ & maris, dicitur  
divisus, & Japeto potissima matis insularumque pars  
cessit. Ab hac divisione Poëtæ gentiles historiam suam  
de Saturno & orbis inter liberos ejus divisione con-  
flarunt, per Saturnum Noachum, & per Neptunum,  
cui mare omnesque insulas adjacentes attribuerunt,  
ipsum Japetum intelligentes, prout docti tantum non  
unanimi consensu arbitrantur.

**XXXIV.** Secundus modus acquirendi dominii  
est occupatio, quæ vel simplex vel bellica. Simplex  
est occupatio rei, quæ nullius alterius dominio est sub-  
jecta, per naturam tamen suam cedit occupanti. Et  
talis fuit prima maris occupatio; quod postquam à Do-  
minis suis derelictum, nullius fuit, donec iterum in  
proprietatem occupando cesserit. Hoc nomine Minos  
imperium maris Cretici acquisivit. Strabo *lib. 10. Geogr.*

F

Hoc

Hoc quoque jure possident Veneti mare Adriaticum;  
Fr. de Ingen. *de Jure Venet. in mari Adriat.* p. 34. Occu-  
patio bellica est, quandò res devicti cedit victori. Hac-  
ratione habitâ, quemadmodum olim, ita & hodiè vi-  
ctor dominium alicujus maris obtinet, quamdiu classe  
victri illud secat, & potentiam habet impediendi ad-  
versarium à recuperatione sui olim in illud mare com-  
petentis juris. Eodem sane modo, quo victor devi-  
cti bona & regiones occupans sibi illa vindicat, ita &  
maris dominium, ab altero ab impotentiam dereli-  
ctum, victor sibi jure armorum suorum acquirere po-  
test. Hoc nomine Romani devictis Carthaginensibus  
facti sunt Domini maris. Florus *lib. 2. hist. c. 6.*

XXXV. Tertius modus acquirendi dominii est  
Accessio. Sic insula in mari nata ad eum spectat pe-  
nes quem est imperium illius partis maritimæ, quod  
plerumque ex vicinitate aestimatur; scilicet quod Domi-  
nus vicini territorii ratione illius imperium in mare ab-  
luens exerceat. Hæc autem vicinitas ab Autoribus  
variè extenditur. Bartolus *in comm. ad l. 6. ff. de aqua*  
*plur.* id dicit vicinum, undē vox clamantis *exaudiri*  
potest, idque probat *ex l. i. f. 27. ff. de SCto Syll.* Leo Im-  
perator in *Nov. 71* id statuit vicinum, in quantum te-  
lum ab arcu mitti potest. Verum de tali vicinitate hic  
non est sermo. Plerisque porro per vicinitatem intel-  
ligitur longitudo 100 milliarium à littore computan-  
da. P. Castr. *in l. 9. de Judicis.* Struv. *Syn. iur. feda-*  
*c. 6. f. 7.* Quidam vero tantum 60 milliaria adscribunt:  
Bodinus *lib. 1. de Rep. cap. 10. n. 170.* Cæterum hæc in  
re certum quid definiri nequit, utpote quæ unice de-  
pendet ex moribus & institutis receptis singularum  
popu-

populorum. Dominus Praeses Operis de Finib. Imp.  
cap. ult.

XXXVL. Potest vero dominium maris & aliis modis acquiri, cum scilicet per voluntatem prioris domini transfertur. E.g. permutatione, adjudicatione, donatione, investiturâ. At cum hi modi acquirendi sint rarissimi, hinc illis haud immorabimur. Per præscriptionem autem mare ut semper acquiratur, & quidem secundum regulas Juris Romani, non est necesse; sola namque occupatio sufficit. Occupata autem maris pars, quæ alias alterius dominio est subjecta, si unâ cum territorio præscribatur, X vel XX, si sine territorio, XXX vel XL anni à Doctoribus requiruntur, Balb. *sr. de prescript. p.2. pr. quaest. 1. 2.3.* Verum cum iura omnium provinciarum non satis aptè subjiciantur regulis juris Romani civilis, certum proinde temporis spatium definiri non potest: sed sufficit tanti temporis silentium in domino, quanti satis est alii non negligenti ad repetendum jus suum: alias nimurum censendus, ac si jure suo renunciasset & mare in pristinum suum collocasset statum, quod tanquam derelictum, cuilibet tum cedit occupanti. Strauch. *in diff. de Imp. mar. c.4. §.5.* Videat & Dn. Præsid. *Operis de Finib. Imperii caput 19.*

XXXVII. PER SPECTIS porro jam modis acquirendi maris dominii, consequens est, ut & scrutemur, quibus modis illud retineri posse. Nam si acquisitionem dominium conservari nequit, non dominium sed potius umbra quædam dominii appellari meretur. Cum autem omne dominium possessione maximè nitatur, hinc nullâ firmiore quidem & contra omnem quoque turbationem aptiore viâ dominium maris retinetur,

nisi classe aliquā ad id instructā, ut exterōs ob occu-  
patione maris arceat, & detrectantes jurisdictionem  
Reipublicæ in mari agnoscere, ad id cogat. Nam in  
quantum quis classe prævaleret, in tantum dōminium  
suum in mari non solum conservare, sed & tempore  
belli extendere valet. Cum igitur Mare per classēm  
detinetur detentio hæc meritò pro possessione haben-  
da, ita ut nulla tum currat præscriptio. Cæpolia. lib. 2.  
*de serv. rust. c. 26. n. 9.* Gryphiander *tr. de Insulis c. 14.*  
*num. 61.* Retinetur porrò maris dominium per varios  
in clasibus & portis constitutos Præfectos. Quorū  
præcipui sunt Præfector maris, alias Ammiralius di-  
ctus, Vice Ammiralius, & Præfector Vigilum, germ.  
Schulzhey Nact. Horum officium est Jurisdictionem  
Reipublicæ in mari integrā servare illamque per actus  
ex dominio profuentes exercere. Hoc autem quatuor  
modis fieri solet, vel jubendo vel vetando vel permit-  
tendo vel puniendo. Hos igitur actus paucissimis per  
potiores suas partes singulas enim recensere nimis pro-  
lixum fore) considerabimus.

XXXIX. Ad primum Imperii actum nempè ad  
n' jubere, refertur I Demisio velorum das Seegel-  
streichen; quæ non novum est inventum, sed iam anti-  
quitus obtinuit, Appiano teste *lib. 6. Civil.* Hæc demis-  
sio velorum duobus modis fit, velenim tantum superior  
pars mali, die Oberseeflagge am Mittelmaſt / demittitur,  
& hæc tantum fit salutandi gratiā, nec ullum arguit  
imperium; Vel majus velum das Kopfsegel demittitur,  
& tamdiu retinetur demissum, donec navis, castrum  
aliquid vel naves à Domino maris ad tuendum domi-  
nium impositas præternavigans, excesserit distantiam  
illam,

illam, ad quam i<sup>c</sup>tus bombardae potest pertingere. Hoc nempe si neglectum fuerit, per contumaciam, tota navis una cum omnibus mercibus cedit fisco Domini illius maris; si per ignorantiam aut negligentiam dolo tamen vel latâ culpâ destitutam, cogitur nauta pro quolibet i<sup>c</sup>tu bombardae (*Canonensis hujus*) poenam quatuor thalorum luere. Stypman. *de jure mari & naut.* pars. s. c. 8. ann. 21. Hanc auctoritatem sibi omnes dominio maris gaudentes in recognitionem dominii sumunt, & quidem jure: idem enim est ac continuum dominii exercitium; & quamdiu hac auctoritate quis utitur, nulla adversus proprietatem ejus maritimam currere potest præscriptio.

XXXIX. II. Ad hunc imperii actum spectat jus portus: vigore nempe cuius Dominus maris portum, i. e. locum conclusum quo exportantur & importantur merces, construere potest. Dictus autem portus a portando, quod ibi merces exportentur & importentur. *I. 39. ff. de V. S.* Hoc jus inter Regalia recensetur *lib. 2. s. 56. secund.* Vid. Bocerus *de regal. cap. 3. num. 131.* Præterea Majestas pro præstítâ navibus in portu suo securitate certum vectigal petere, & quid vehant, unde veniant, quo tendant, & ad quem merces spectent, inquirere potest. Ex hoc præterea fluit III Jus imponendi vectigalis. Quod inter regalia locum itidem inventit, adeoque solummodo ad Respublicas quæ Majestate fulgent, vel hisce æmulas spectat. Carpzov. *in capit. Cef. cap. 8. num. 9.* Everh. *consil. lib. 1. consil. 20.* Est autem vectigal in genere, quod pro rebus importandis & exportandis publico solvitur. Hoc loco autem

est: quod à Majestate imperatur naviagatibus, ut tam  
quoad personam quam merces suas pro securitate transi-  
tus & onere tuendæ navigationis, certum solvant por-  
torium. Calvinus in *lex. Jurid.* p. 930. Germanis dicuntur  
Wreggeldi item Fahrzoll. Quod ab antiquis usque Ro-  
manorum temporibus in usu fuit, & per ipsos Franco-  
rum Reges ac succedentes Imperatores continutum.  
Lehman. in *Chron. Spir. lib. 2. cap. 44. fol. 190.* Jure au-  
tem vestigal aliquod exigi potest. Est enim penes Im-  
perantem, an velit transitum & stationem in portu  
permittere nec ne. Hinc ab illius præstatione nemo  
est exclusus, exceptis iis, qui singulari immunitate gau-  
dient, quales sunt Principes & Illustres personæ l. o. pr.  
*C. de vest.* Bidenbach. *quæst. nobil.* 18. Boc. *de regal. c. 2.*  
*n. 197.* Studiosi ad Academiam proficiscentes vel inde  
abeuntes, ut & omnes scholastici *Austh. hab. C. ne filium*  
*pro patre.* Besold. *de jure acad. c. 5. fol. 215.* Speckhar.  
*cent. 2. decis. d. 1. q. 11.* Clerici *c. 4. X. de Cens. in 6.* Chri-  
stianæs *decis. vol. 2. dec. 17.* & naviçularii *l. o. C. de vest.*  
*& comm.*

XL. IV. Ad hunc Imperii actum recensetur &  
Jus Angariarum. Dicuntur autem Angariae ab ἀγαρ  
εἰς τον cogere, sunt enim servitutes coactæ. Hæc vox  
autem Angariæ ortum suum, ceu multis placet, Persi-  
co idiomiati debet, apud quos idem est ac Nuncius:  
quod Græci scilicet extenderunt, ita ut omnes bajulos  
& operarios, imprimis coactos, ἀγαρες nominarint.  
Hoc loco autem per Angariam indigitatur jus Majesta-  
ti competens, vigore cuius à provincialibus exiguntur  
naves, cum primis expeditiōnis tempore, ad transve-  
hendum

hendam Domini comitatum & antoniam publicam. Illud jus autem similiter in Regalium numero censetur. lib. 2. ferd. 112. 50. & tanta est exaltatio, ut ab hoc onere nemo excludatur, & habeatur pro patrimoniali. lib. & 2. C. de nov. non excus. & Brunneman. ad hunc locum p. 628. Quod ita ampliatur, ut nec Ecclesiæ nec personæ in dignitate constitutæ sint immunes l. 2. C de nov. l. 11. C. de SS. Eccl. Bocertis de Regal. cap. 3. num. 248.

V. Etiam jus Stapulæ vigore hujus actus Imperii competit Domino maris. Dicte autem Stapula ab antiquâ voce Teutonica Stapel quod forum denotavit. Salmas. in observ. ad jus Art. cap. 5. & est jus Majestati competens, quo coguntur nautæ merces suas in portum delatas. venales exponere illasque non prius avehere, quam oblatæ sunt civibus ad vendendum. Hoc proinde jus etiam Regalium numerum adauget. Sixt. de reg. c. 5. num. 229. Bedold. in rheſ. pract. & Speid. norab. vocabulo Staffelges. gerechtigkeit. item Guicciard. in descript. Belgii pag. 181. Multis autem Civitatibus Germaniæ nostræ ab Imperatoribus, consensu Ordinum Imperii, jus illud concessum legitur. Quo proinde etiam adhuc gaudent Lübecka, Hamburgum, Strada, Colonia Agrippina, Brema & aliae, præsertim ad Rhenum. De quibus videatur Lehni. in Chron. Spir. lib. 4. c. 22.

XLI. Secundus Imperii actus exercetur vetando. Vigore igitur hujus Dominus maris I ipsam etiam navigationem ad certa loca prohibere potest: si scilicet utilitas Republicæ vel ob metum vel ob aliam justam causam id efflagitet. Sic sane jam olim Carthaginenses Romanis interdixerunt, ne in Africam appellerent.

serent. Item hodiè Rex Hispaniæ prohibet navigatio-  
nem in Americam, Rex Norwegiæ in Islandiam; jure  
omnes an injuriâ, meum non est disputare. Appulsus  
quidem, si minetur eversionem regiminis, eodem jure  
ac ingressus territorii prohiberi potest, navigatio autem,  
si absq; damno Republicæ fieri potest ut & ipse appulsus,  
impediri nequit, proindè quoq; hoc si fit, justissimam bel-  
landi præbet causam. II Etiam jus piscationis vigore  
hujus Imperii Dominus maris sibi vindicare, aliosq;ue  
ab ejus exercitio repeliere potest. Dicitur quidem §.  
12. I. de Rer. divisi. animalia in mari nata statim fieri capi-  
entis, ut & feras bestias: verum quemadmodum Do-  
minus territorii aliquem ab ingressu ejus arcere potest, ita  
& Dominus maris reliquis aditum ejus, si scilicethoc ma-  
lo animo fiat, merito interdicere potest. Accedit, quod  
Majestas plarumq; sibi hoc jus hodie reservarit, illudq;ue  
inter regalia recensatur. Haud immerito autem fieri  
ex ante dictis sufficienter patescit; dum probavi jura  
Gentium à jure civili immutari posse & in hoc loco mu-  
tata esse. Olim quoque ipsam punctionem aliquantu-  
lum restrictam fuisse, ex Juvenalis *sax. 4.* colligere est.  
In hac enim Poeta perstringit Domitianum, quod pi-  
scationem rhoimbi sibi soli attribuerit. Magnus Gro-  
tius hoc jus piscandi p. 34. de mar. lib. ita restringit: Ma-  
jestatem quidem posse subditis non autem peregrinis  
punctionem interdicere: sed hanc suam sententiam ipse  
erroneam esse agnoscens, in lib. 2. de Jure B. ac P. cap. 2.  
num. 5. refutavit, addendo hanc rationem, ut & ii, qui  
territorium aliquod intrant lege teneantur se reddere  
conforines institutis ejus populi.

XLII. Ad

**XLII.** Ad tertium imperii actum spectat concessio immunitatum à vestigalibus; item quandò Majestas mercatoribus quibusdam certa concedit privilegia, ut liberum habeant absque injunctione onerum transitum, & liberè commercia instituere possint; privilegium porro piscandi, & concessio juris stapularum; denique permisso appellendi, ut scilicet hujus Reipublicæ navibus alterius littora appellere, inq' ejus emporiis ædificia ad exponendas merces venales, Germ.  
*Pachhäuser/ extruere liceat.*

**XLIII.** Ad quartum' imperii actum pertinet I. omnium criminum quæ à privatis aliisque in mari committuntur, vindicatio, nec non procuratio ut illa crimina meritis luantur suppliciis. Et verò is, qui Reipublicæ præst, curare debet, ut malis hominibus Respublica purgetur. *I. 3. ff. de Offic. Pref.* ac proinde etiam mare à piratis aliisque incursionibus liberum & securum reddere tenetur. Hanc sane ob causam, saltim præcipue, vestigalia percipit ut tutum & innoxium navigantibus præstet transitum: si autem mare à piratis infestetur, transitus ille securus esse nequit. Quare officium Regentis, qui & mari imperat, in hoc maximè est situm, ut naves omni bellico apparatu habeat instrutas & piratas omni studio & curâ infestetur. Proinde olim in Imperio Romano certi hisce investigandis fuere præpositi. Sic Suetonius de Augusto refert, illum post bella civilia non tantum in Italiâ, sed etiam in omnibus reliquis marinis provinciis, certos milites aluisse, qui dicti sunt Stationarii, quorum officium fuit persequi piratas & prædones, illosque Magistratui ad me-

rita supplicia tradere. De quorum officio totus in ff. reperitur titulus *de curios. & stacion.* Erant scilicet illi apparitores dispersi per provincias, ut Magistratibus denunciarent crimina quæ perpetrabantur l. i. §. 12. ff. de Off. Praef. Vrb. Calv. lex Jurid. p. 867. Publica vero etiam præmia illis, qui latrones apprehensi sunt, prudenter sunt proponenda. Pertinet proinde omnino investigatio piratarum ad Dominum Maris; adeoque nisi hic diligentiam in investigandis illis adhibuerit, eorumque crudelibus cœptis, quantum in se, vires suas non opposuerit, teneatur fortassis ad resarcendum damnum. Videatur Grotius lib. 2. de J. B. ac P. cap. 21. II Vigore hujus porro imperii potest Domininus maris illis, qui hostem navibus aliisque rebus ad bellum prolongandum facientibus, instruunt, licet sint socrorum subditi, naves una cum talibus mercibus in navibus repertis adimere.

XLIV. III Hoc imperium tribuit Domino mari potestatem inquirendi in illos, qui ex naufragio lucrum captant. Et quidem Jure veteri Romanorum illis quadrupli poena constituta fuit l. i. pr. ff. de incendio. Et sane injuria est damnum damno addere; nec afflictio addenda est afflito. Quapropter etiam consuetudo illa quibusdam in locis recepta, quâ res naufragorum spectant ad dominum territorii illius, quod adpellunt, videtur irrationabilis: adeoque licet in Gallia sit recepta, meritò tamen ut iniqua rejicitur etiam à Bodino lib. 1. de Rep. c. 10 n. 171. & à Petro Rebuffo in LL. Reg. gl. s. num. 74. Et verò naturali motu æquitate mutuae amicitiae, Imperator Constantinus in l. i. C. de naufragis expresse olim

olim sancivit: quod, si quando naufragio navis apparet  
faeris ad litem, vel si quando aliquam terram attinge-  
rit, illa ad priscos Dominos pertineat, nec fiscus se interpo-  
nat: addens hanc rationem quasi interrogando, quod  
ius habeat fiscus in alienâ calamitate, ut de ratione luctua-  
sa compendium sectetur? Item Fridericus II Imperator  
in art. navigia ad l. 18. C. de furt. & serv. corr. publicâ  
lege consuetudinem hanc ut irrationalē condemnavit,  
& sub poenâ publicationis bonorum imo & supplicij  
prohibuit. Ex quâ authenticâ simul colligi potest,  
contra hanc legem non posse induci consuetudinem, ut  
poterit cum per eam consuetudo expressè sit prohibita.  
Vasqu. pars 2. controv. l. 1. cap. 3. Carolus quoque V  
constituit, ut sublatâ omni hac consuetudine tam na-  
vigia quam bona navigantium Dominis suis integra  
serventur. Vid. art. 218 constit. criminal. Alia exempla  
constitutionum consuetudinem hanc prohibentium ha-  
bentur in: Art. cassâ C. de SS. Ecol. & art. omnes pere-  
grini C. comm. de success. item in Rec. Imp. de anno 1548.  
zit: von Handwerck's Söhnen. Plura præterea videri  
possunt de hac irrationali consuetudine apud Brunnem.  
in comm. ad l. 18. C. de furt. & l. 1. C. de naufrag. Gail.  
lib. 1. observ. & Pruckm. cons. 2. n. 185. vol. 1.. Denique  
IV potest & Dominus maris inquirere, an merces pro-  
hibitæ in navibus reperiantur, quæ si adficiunt, tota navis  
fisco solet in poenam cedere & omnia bona sunt caduca.  
l. 2. C. quares export. non deb. Ubi tamen notanda di-  
stinctio an scientie Domino, vel ignorantie hæ merces:  
navi sint impositæ. Si prius, navis omnino à fisco  
windicatur, sin posterius, bona illa quidem sunt caduca,

salvâ tamen Domino suo remanente navi l. 11. f. e. ff. de  
publ. & vectus.

XLV. COETERVM hæc nunc quidem sufficiant ad probandum dominium maris. Meritò nempe concludimus: partem quandam maris nondum ab alio occupatam in dominium redigi posse, ita tamen ut illa correspondeat territorio, utque absque damno & præsentissimâ alterius injuriâ fiat; totum autem mare ab uno occupari impossibile esse. Nihil ergo nunc quidem restat, nisi ut veniam efflagitem si forsitan quædam à me proposita non omni parte ab erroribus sint, immunia. Nisi fallor autem; & mea juvenalis ætas, & argumenti dignitas difficultasq; & denique dissentientium multitudine, indulgentiam aliquam, suo quodam merito, sibi queunt postulare.

F I N I S

